

Haecenus Juris Graeco-Romani Collectio Leunclaviana, quam Freherus Graece & Latine edidit, in qua tamen, ut vides, & Scholiastæ Juris cum ipso Jure miscentur, & Corpus Juris integrum non profertur. Illud enim, quemadmodum supra dictum est, constat primo quidem ex Canonibus Synodorum & Patrum; deinde ex Imperatorum novellis, Justinianeis Institutionibus, Pandectis, & Codice: tum ex iis, quæ postea, Augustorum jussu, in compendium redacti sunt, Eclogarum, & Basilicorum Libris: postremo ex Juris utriusque Peritorum, & Episcoporum Responsis, & ex Patriarcharum Synodalibus Sanctionibus.

Ut igitur plenam Jurisprudentiæ Orientalis, tam Canonica, quam Civilis, notitiam, quantum fieri poterit, tradamus; postquam in priore Libro fontes Juris Canonici aperuimus; reliquum est, ut in hoc altero Libro a nobis accurate recensentur, primum quidem edita ante Justiniani tempora, Imperatorum Leges. Deinde ipsius Justiniani Institutiones, Pandectæ & Codex: mox ejusdem Justiniani, & sequentium Augustorum Orientis Novellæ Constitutiones. Postea dicendum erit de Libris Basilicorum, deque Eclogis, jussu Imperatorum editis. Tum vero de Episcoporum atque Jurisconsultorum Graecorum Juridicis Responsis: Denique de Synodicis Patriarcharum Epistolis, & Constitutionibus.

C A P U T II.

Synoptica Juris Civilis, usque ad Justinianum, Historia.

Matthæus Blastares Graecus Hieromonachus, qui circa annum Christi 1335. scripsit, in Praefatione ad Syntagma Canonum Legumque Alphabeticum, quod Guilielmus Beveregius ex duobus Codicibus manuscriptis Bodlejano, & Isaaci Vossii, addita Latina Versione, Graece edidit, Historiam Juris Veteris Graeco-Romani breviter his verbis perstringit. *περὶ τῶν πολιτικῶν νόμων*
πρόθεν